



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De presbyteris qui corpus dominicum ad deferendum infirmis mulierculis  
tradunt. xxx.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**



*De pane qui offerendus est. Cap. XXIX.*

**P**anes quos deo in sacrificiū offertis, aut à vobismet- *Ex decr.*  
 ipsis, aut à vestris pueris coram vobis nitidè ac stu- *Anitij pa*  
 diose fiant, & diligenter obseruetur, vt panis, & vinum, & *pa, ca. 3.*  
 aqua, sine quibus Missæ nequeunt celebrari, mundissimè  
 atque studiosè tractentur, & nihil in eis vile, nihil nõ pro-  
 batū inueniatur, iuxta illud quod ait scriptura: Sit timor  
 domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite.

*De presbyteris qui corpus dominicum ad deferendum  
 infirmis mulierculis tradunt. Cap. XXX.*

**P**ervenit ad notitiam nostram, quòd quidam presbyte- *Ex cõcil.*  
 ri intantum paruipendant diuina mysteria, vt laico, *Remensi,*  
 aut sceminae sacrum corpus domini tradant ad deferen- *cap. 2.*  
 dum infirmis, & quibus prohibetur, ne sacrariū ingrediā-  
 tur, nec ad altare appropinquent, illis sancta sanctorū cõ-  
 mittuntur. Quòd quàm sit horribile, quàm detestabile om-  
 nium religiosorum animaduertit prudentia. Igitur in-  
 terdicat per omnia synodus, ne talis temeraria præsum-  
 ptio ulterius fiat, sed omnimodis presbyter per semetip-  
 sum infirmum communicet. Quòd si aliter fecerit, gradus  
 sui periculo subiacebit.

*Vt defunctis Eucharistia non detur. Cap. XXXI.*

**I**tem placuit, vt corporibus defunctorū Eucharistia nõ *Ex cõcil.*  
 detur, Scriptū est enim: Accipite, & edite. Cadauera au- *Cartha-*  
 tem, nec accipere possunt, nec edere: Et nec iam mortuos *gi. cap. 6.*  
 homines baptizari faciat presbyterorum ignauia.

*Vt oblationes in maioribus festis ab omnibus æqua-  
 nimiter fiant. Cap. XXXII.*

**I**n synodo Matiscenti decretum est, vt in omnibus die- *Ex cõcil.*  
 bus dominicis, aliisq; festiuitatibus oblatio ab omni- *Matisce.*  
 bus, qui ad Missam conuenerint, vtriusque sexus offeratur *cap. 50.*  
 in Ecclesia, singuli singulas oblationes offerentes. Finita  
 Missa à presbytero oblationes accipiant. Omnis autem qui  
 hanc diffinitionem per inobedientiam euacuare præsum-  
 pserit, anathemate percellatur.

*Quòd ministris altaris supra altare solis com-  
 municare liceat. Cap. XXXIII.*

**S**olis autem ministris sacro ordini deditis ad altare ac- *Ex cõcil.*  
 cedere, & communicare liceat. *Laodic.*